

Bibliothèque numérique

medic@

**La Planche, Michel-François de -
candidat / Roussille De Chamseru,
Jean François Jacques - président. -
An in usu Vesicantium Cautelae tùm
Medicae tùm Chirurgicae ?**

1778.

**Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°128**

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis Aprilis,

anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. JOANNE-FRANCISCO-JACOBO ROUSSILLE

DE CHAMSERU, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro

Epidemiis institutâ, Doctore Medico, Præsidente.

An in usu Vesicantium Cautelæ tùm Medicæ tùm Chirurgicæ?

I.




ULTIS in morbis, materies corpus inficiens, naturæ viribus in aliquam partem ignobiliorem amandari solet; undè stases criticæ, tumores varii generis, phlegmonodei, erysipelacei, pustulosi, miliares, petechiales, purulenti. At sæpè debilis Natura conatus salubres nequit exerere, nec in externas partes semper ablegat virus, sed aut defessa, aut oppressa, aut variè conturbata illud finit internis in partibus decumbere lethaliter. Sæpè etiam ubi intus crucians vaga materies ex unâ parte in alteram fugit partemque principem occupat, utile esset ipsam ad exteriora verti; verùm inutilis actio naturæ luditur. Ars igitur naturæ succurrat. Quod nequit hæc sola perficere, consociatis viribus ambo feliciùs exequentur. Inter cætera quæ ad hunc usum commendata fuere auxilia, scarificationes, cucurbitas, phænigmos, sinapismos, vesicantia, setacea, ustiones, multa obsoleverunt quæ sæpiùs forsan adhuc-dùm proficerent. Frequentiorem usum & vim maximè efficacem obrinuere vesicantia. Sed eorum adhibitio summam requirit sedulitatem summamque peritiam. Ea est enim optimarum rerum conditio, ut pro sapienti vel incauto usu, præ aliis noceant aut prosint. Cùm autem ad feliciorum exitum in morbis curandis, non conducat minùs methodica & tempestiva vesicantium adhibitio, quàm applicatorum apta deligatio, æquè Medici & Chirurgi curam attentam reposcunt. Cujus sedulitatis patebit magis necessitas, ipsâ vesicantium agendi ratione mox adumbratâ. Cautelas deindè tùm in usu illorum medico, tùm in applicatione medicationeque chirurgicâ observandas, sigillarim proponemus.

II.

VESICATORIA dicuntur quæcunque cuti applicata, principio acri quo pollent eam inflammant, & simul in ipsâ efformant sero turgentes vesiculas. Præter liquores igne forvidos & valdè excalefacta corpora, in vesicantium numerum recensentur plures substantiæ. At tali nomine jure non insigniuntur omnes. Quædam enim phænigmata tantum vices gerunt,

A



2

alia vividum absque ampullâ efformant erysipelas; alia instar mineralium, vi escharoticâ se produunt. Præcipuam vim possident Cantharides & alia quædam ex genere scarabæorum. Sed tutius, felicius, commodius longè aliis agunt cantharides, ipsasque commendat usus frequentior. Non solæ autem adhibentur, sed linimento, emplastro, vel cataplasmati, variâ dosi commixtæ, pro indicationibus diversis. Nec quidquam ad omnia magis accommodatum videtur quàm emplastrum epispasticum (1) in Codice Parisiensi exaratum. 1°. enim vitiosi mul- tum in se recipit extemporanea topicorum præparatio cum fermento & cantharidibus; nam- que adhibentur sæpius malè tritæ, antiquitùs confusæ, non semper eadem vi pollentes & non raro absquè ullâ ponderis determinatione. Aliundè expedit ubiquè uniformem esse remedii tam gravis confectionem. 2°. nihil cum pharmaceuticis (2) chymicisque indicationibus conve- nit melius quàm Medicorum Parisiensium formula. 3°. nec nimis iners nec adurens nimis topicum illud, moderatâ pollet efficaciâ & faciliè pro nutu moderandâ; namque ad arbitrium medentis, modò simplicis phœnigmi modò genuini vesicantis, modò lenis escharotici vices implere valet; sicque aptè contemperatum omni ætati, sexui, temperamento convenit. 4°. Demùm ejus excellentia comprobatur usu diutino, vulgatissimo & felicissimo.

Ubicunquè applicata fuerint lata epispastica, multa observantur: incallescit, rubescit cu- tis, sensim augetur calor, miliares vesiculæ assurgunt; accedunt dolor, inquietas, pervigilium; oritur febricula; intenditur, si jam adsit, febris; è lecto emanat gravis odor, qualem ferunt in nativis regionibus, præcedere examina volantia cantharidum. Decem ferè elapsis horis, augentur omnia, junctis vesiculis formata est ampulla major fœta sero flavescente, vero humore lymphatico & coagulabili. Hucusque ferri dolor potuit; excisâ autem ampullâ, ubi primùm nudatur cutis, ecce oritur cruciatus ingens, quasi carbo ignitus ipsam attinge- ret. Sæpè anima deficit præ dolore; sed sensim minuitur calor ille, & post unam alteramve horam quiescit æger. Proximâ deligatione, aëris contactu vix afficitur cutis, jam minùs inflam- mata, leni pure madens, adeoque ab exterioribus quasi defensa.

His faciliè intelligitur vesicantium effectus & agendi ratio; hæc enim ab irritatione pen- det, ab evacuatione, à salibus cantharidum intus resorptis. Ob cutim valdè irritatam, lym- pha è vasis exprimitur, disruptis cuticulæ frænulis colligitur: immutatur sensationum ordo; qui intus urgebat, extus advocatur dolor; restituuntur functiones, expediuntur partes vitæ necessariæ. Est & evacuationi non mediocris utilitas, dùm revellit ab internis partibus noci- vum humorem & derivat ad cutem ubi minùs adest discriminis. Resorptis tandem cantha- ridum principiis subtilioribus, planum est viscidos spissatosve humores attenuari, citius mo- veri, febrem oriri, sopitos sensus erigi. Notatur præsertim horum actio quasi specifica in du- ctus urinarios; ergò inter heroïca remedia faciliè annumerantur cantharides, undè plures ne- cessariò admittunt cautelas.

I I I.

MULTA igitur Medicus habet mente versanda, multa meditanda in adhibitione vesican- tium. Quid enim sibi velint morbi causæ, indoles, tempora; quid aëris constitutio; quid ægri ætas, sexus, temperies, ea omnia considerare attentè debet, deindè quinam op- tandus vesicanti locus; quodnam præ cæteris eligendum topicum; quânam correctione istud indigeat; quæ sit statuenda effluvii duratio, singula sedulò perpendenda sunt.

Non una scilicet admittenda est methodus in diversis febrium & inflammationum speciebus, non una in malis rheumaticæ & arthriticæ indolis; prudens consilium requirit hydropicus tu- mor; non indiscriminatim habendi sunt omnes capitis morbi, aliterque agendum est, si cau- sam humoralem agnoscat malum quoddam, aut à merè spasmodicâ sensuum ac motuum per- turbatione oriatur. Singulis hisce in casibus prosequamur vesicantium utilitatem.

(1) Conficitur ex Canthar. ʒ iv. Euphorb. pulver. ʒ iv. Pice Burgund. Terebinth. aa. ʒ vj. Cerae flavæ ʒ ij.

(2) Siotamen paratum, æstate mollescit nimis; quod præcavetur retrahendo ex Terebinthinâ, drachmas iv., æstis Cera & Pice rependendas.

Multoties quidem in febribus putridis, malignis, exanthematicis, pestilentialibus juvare applicata suris vesicantia. Sed si quid inflammatorii valde exagitet sanguinem; si turgeat plethora aut primas inficiat vias saburraputrescens, ea prius correxisse necesse est. Neque, malâ sedulitate, prius applicandæ sunt cantharides, quàm se se obtulerit indicatio capitique imminet virus. Idco plurimis exitio fuit, aut saltem ærumnis longioribus locum dedit præmatura vesicantis applicatio ineuntibus variolis (1), morbillisve, ut servetur ab irrupturo forsan contagio caput. Exasperatus enim furit morbus, qui tali auxilio melius debellaretur, si languescente eruptione vel retropulsis exanthematibus id fieret tantum, aut ubi malis reliquiis inusta chronica labes subsisteret.

Idem auxilii genus in spuriis pleuræ, pulmonum, faucium, oculorum inflammationibus prosperè usurpatur, præsertim apud phlegmaticos, catarrhicos, senes. Si verò inflammatio sit exquisitè sanguinea & acerrima, cantharidibus uti piaculum est. Sæpè quoque sub pleuritidis larvâ, speciosis symptomatibus se produnt mentitæ inflammationes, quas pariunt saburra, flatus, aut non adco graves dolores rheumatici. In his, cantharidum applicatio si non omnino nociva, saltem inutilis est & omnino rejicienda.

Nonnunquam ab interioribus erui & utiliter ad exteriora verti possunt, ope vesicantium, dolores intus sævientis rheumaticæ aut arthriticæ indolis. At tali auxilio ne fidas nimium; fieri enim potest, ut causa horum potior sit malefica lues; syphilita, scrophulosa, rachitica, scorbutica. Quid boni feret adve sus molem humorum coinquinatam totam, per cutis exulceratæ superficiem angustam, evacuatio levis? Quanto magis illis dissidendum in asthmate nervoso tuberculoso, purulento; in tabe; in renum obstructione & ulcere, lumbaginem mentientibus!

Gangrænam metuunt practici ferè omnes ex usu cantharidum in hydropico œdemate, meliora sperantes ab internâ tonicorum robotantium incidentium actione. Vidimus quoque multoties hydropicos quibus casu aut arte concitatæ vesiculæ in suris intumuerunt, nunquam sanatos fuisse. Præterea cantharidum vis diuretica, tincturæ anglicæ (2) usu felicius potest obtineri; & si evacuationibus per cutem fidendi sit locus, simplici exulceratione præpollent altæ scarificationes. Nocet igitur plus quàm prodest hydropicis, applicatio vesicantium. In hydrope tamen speciali, ut hydrocephalo, hydrophthalmiâ, &c. ea prorsus damanda non volumus; quod novæ indagini adhuc subjiendum.

Profunt generatim vesicantia, ubi errat intus vagus humor, sive ipsum repressa exanthemata, sive effluvia cohibita, suppressæque evacuationes præcesserint. At simili symptomatum specie decipiunt spasmodici affectus qui causam humoralem nesciunt, amatoria febris; nostalgia, &c. Iisdem se produnt effectibus exhaustæ pollutionibus vires, corpus omni labore defessum extenuatumque; exsiccum inedia & vigiliis. Cave hisce in casibus ne acres stimulos injicias; neque interim spernendus, salubriter sen us occupans ac reficiens, quamvis sub mortis imagine naturam gravare videatur, sopor.

Varias inter capitis & systematis nervosi affectiones idem distinguendum est. Pertinaces nempe cephalæas vesicante applicato & diutinâ ulceris suppuratione, radicibus sanatas fuisse memorant nonnullæ observationes. Si verò hæreditarius sit talis morbus, annosus, biliosus, nervosus, hypochondriacum corpus diu ac sæpius exercens, parce cantharidibus; usque recurrentem naturam frustra furcâ expelles. Quoad nervosas affectiones, delirium, convulsionem, coma & paralysem; his duobus sæpius admittuntur, illis excluduntur sæpius vesicatoria. Posteriores enim ab atoniâ, pressione, infarctu originem ducunt; priores verò gignit maximè inflammatio vel erethismus. Notandum tamen est, inveterascente paralyfi, nullam habendam spem à cantharidibus, nullam in comate quod

(1) Vide Thesim M. GERVAISE, de Variolis, propugnat. annis 1772 & 1777.

(2) Paratur ex Cantharid. contus. drachm. ij. Coceinellæ drachm. ℞. Spirit. vini rectif. ꝯxxiv. M. digerantur. Pharmac. Lond. ann. 1747. pag. 93.

magnas capitis læsiones excipit. Has quinimò BAGLIVI statuit tunc temporis esse exitiosas. Quod autem delirium spectat, observatum est à Domino EBENEZER GILCRIST (3), de Febre epidemicâ quam *nervosam* vocat, differente, illo instante proficuè applicari vesicantia; ubi verò prorsus invaluit, infelici cantharidum auxilio potiùs intendi symptomata.

Igitur non ubique indiscriminatim, quasi innoxium semper, debet admitti remedium tam potens. Nec tantum excludendum est, quando noxium creditur, sed & quando inutile. Non enim diffamanda sunt artis auxilia, neque ægri doloribus non parcendum. Quid prodesse poterunt, v. g. adversus maturam cataractam, annosam surditatem, tussim inveteratam, in scorbuto, in summo cachexiæ gradu, vel quando de ægro penè conclamatum est, post febrem hæcicam exedentem?

Non morborum omnibus stadiis applicanda sunt vesicatoria; in apoplecticis, paralyticis, in metastaticis maximè affectibus, quam primùm; in febrilibus, inflammatoriis, spasmodicis, seriùs & quando evasit mollior laxiorque fibra. In chronicis demùm minimè instituat hęc operatio, nisi præmissis, ut par est, generalibus, remissionis commodiorisque usùs, remediis.

Cælum quoque interrogandum est. Ex observatis (4) constat, æstivo anni proximè elapsi, nimium sicco tempore, malè se habuisse fonticulos ulceraque à vesicatoriis, quorum plura gangrænâ siccâ correpta fuerunt. Idem quandoque se prodit in nosocomiis, magnis præsertim & ingenti ægrorum numero refertis, aëre non perflatis, neque assiduè repurgatis. Itaque medicus, antè exulcerandam cutim, his debet attendere; neque urente sirio vel sæviente boreâ tam facile admittenda est ea praxis, quàm sudo & remissiori tempore.

Ætati præterea, sexui, temperamento consulendum. Latiora, acriora, numero plura vesicantia ferre valent robusti athletæ, quàm pueri & tenellæ mulieres. In istis præcipuè distinguendum est, an ab humore oriatur vis morbi, vel à sensu nimis acuto. Humidæ, crassæ, obesæ constitutiones illis meliùs habebuntur, quàm sanguineæ, biliosæ, siccæ. Tabidis & macilentis sumimè nocent. Prægnanti lactantive injuri fonticulos vetat natura succos aliàs repossens; undè qui antè vigeabant, hisce temporibus vulgò exarescunt.

Nunc immediatè ad partem affectam, nunc eminè debent applicari. Prius, quando subigendus est humor viscidus, ut in contumaci cephalalgia, in spuriâ pleuritide, in asthmate catarrho cum difficili exspuitione, in alto & acro rheumatismo. Posterius locum obtinet, ubi facilè movendus est humor, revulsioque à parte principe necessaria est, vel derivatio in alteram. Satiùs multis videtur frequentata crisi bus loca eligere, parotides, cervicem, crura, &c. *Ab anginâ detento, securius est tumorem & ruborem ad exteriora verti* (5). Hâc sententiâ ducti quidam, sub auribus vesicantia applicant, in anginosi. Idem in pleuriticis aut peripneumonici, volunt furis imponi cantharides, duce adhuc Hippocrate (6), *in periculosis pulmonum inflammationibus, abscessus ad crura omnes sanè utiles*. Hinc & in malignis febribus, parotides, alas, inguina multi potiùs eligunt. Castrensis quidam (7) percelebris medicus, ubi, sectis pluries à militari epidemiâ defunctorum cadaveribus, vidit lienem semper corruptum & colliquatum inveniri, maturè deinceps latum vesicans hypochondrio lævo applicari voluit; quo factò, plures convalescere. Tibiis rariùs applicantur apud par-

(3) Essais & Observ. de Médecine d'Edimbourg. Tom. IV. pag. 461.

(4) Debemus hanc Observationem M^o. DESESSARTZ, laborum nostrorum moderatori dilectissimo. Refert: pariter Baglivi (Dissert. de usu & abusu vesicant. Cap. II.) Romæ & Bononiæ, anno 1792, ulcera leviora ob causam citò Gangrænâ correpta fuisse, plurimosque itidem à gangrænâ vesicantium periisse.

(5) Prognostic. Sect. III. §. xx.

(6) Ibid. Sect. II. §. lxxvii.

(7) M. DEVILLIERS, Médecine Prat. de Londres, Ouvrage traduit de l'Anglois & enrichi d'excellentes Remarques, vol. in-8^o. 1778. page 234. Vide Notam.

vulvos, ob earum tenuitatem; ob gangrænae siccae timorem, apud seniores, sed potius femoribus, quæ crassiora sunt & calidiora.

Indò operæ pretium est varia vesicantia elegisse. Præstat enim emplastro cataplasma (8) vesicariæ sive allicucufam efformandam, sive ad membrum involvendum. Sinapismi vices gerit unguentum utrumque (9) epispasticum Cod. Parisiensis. Emplastrum epispasticum, formâ globuli, in centro tumoris maturandi apponi potest, in cauterii vicem: idem ad nummi latitudinem, temporibus, post aures aut ad radicem musculi deltoïdis quotidie applicatur, ad fonticulum *planum*, ut aiunt, efformandum: usui Mezeræi præstat illa methodus minùs dolorifica; minoraque trahit secum incommoda, quàm ipsum cauterium.

Igitur modò latum, modò parvum indicatur vesicans; modò unum, modò plura; modò acri pulvere suffundi debet, ut citius agat vividiusque; modò raro aspergi vel nullo. Plura quoque nunc simul, nunc successive applicanda, prout vel multam vim & impetum, vel leviores, sed crebrius repetitos ictus, morbi ægrive conditio exoptulat.

Hebetandum est interim principium acre cantharidum, ne viis urinariis & sæpè aliis, labem inferat. Hùc spectat usus internus lenientium, ut sunt serum lactis, emulsiones, juscula, oleosa, mucilaginea, acetosa, nitrosa. Intùs etiam præscribi potest ac simul ipsi topico addi, Camphora, vi specificâ ejus acrimoniam cicurans, juxta peritissimorum opinionem.

Non semper promovenda est suppuratio à vesicatoriis. Medicum regat indicatio & sua speciatim quemque experientia. Naturæ etiam obtemperandum, quæ nunc favet, nunc reluctat illi actioni. Sæpè numerò sufficit vivida commotio ex primâ applicatione. In febribus autem continuis, non idem est; foveri tunc debet suppuratio & diù promoveri. Citius siccatorem tristes effectus passim memorantur (10). Undè liquet in desiccandis vesicatoriis non minorem cautelam requiri, quàm in præscribendâ regendâque illorum adhibitione.

I V.

EST etiam chirurgicis curis non minima laus. Topici comparandi ratio, applicandi modus, eximendi occasio, ulceris tractatio, curatio accidentium multam exposcunt sagacitatem & diligentiam.

Cantharidum pulvis quo utuntur chirurgi, tenuissimus sit, recens paratus, ex insectis integris, non corruptis. In centro alutæ extendatur æqualiter epispasticum, ad duarum linearum crassitiem, pro majori, & semi-lineæ, pro minori emplastri latitudine; addatur pulvis cantharidum, si actio cita & vehemens requiratur, si dura fuerit ulceranda cutis aut vires exsuscitandæ. Cutis mollior, sensilior (quod puerorum est & muliercularum) & cutis humida hunc reprobatur, vel pauciorum admittit.

Ut ritè applicetur vesicatorium, 1°. eligenda est hora. Matutinis porrò id fiet potius quàm serotinis, ne, dolore excitato, paroxysmi intendatur gradus vel nocturna turbetur quies: 2°. eligendus est locus ab omni pressione liber, varicibus carens, torosus, textu adiposo refertus, morbo indicatus, effluviis naturalibus magis assuetus: 3°. locus ille, diversè præparandus est; scilicet quandò præ ardore febris totum aridum est corpus, balneum universale aut topicum saltem, præmitti potest, vel mucilaginosi cataplasmatibus pars aliquamdiù fovenda. In apoplexiâ, recente paralyfi, lethargo, asphyxiâ, non abs re esset cucurbitam siccam loco electo priùs applicare ut statim affluat multus humor, citiorque ac validior attrahentium effectus eliciatur: 4°. demùm ex praxi vulgatissimâ, calidâ abluitur cutis; pili, si adsint, abraduntur; cum linteolis aceto imbutis pars leviter fricatur, ad le-

(8) Aliud ex ung. Basilici & Cantharid. aa. p. æ. cum ung. Populei part. ij. - Aliud verò ex Sinapi ʒʒ: Staphidisagria, Piperis longi, Pyrethrae, aa. drach. j. Euphorb. gr. xv. omnibus pulveratis, dein ritè commixtis, cum ung. Basilici ʒ ij. Terebinthin. f. q. ut F. Unguentum.

(9) Fit Cataplasma ex Ferment. acerrimi part. v, cum Cantharid. part. j. optimè commixtis.

(10) Journal de Médecine, Décembre 1760.

venit usque rubedinem; emplastrum dein apponitur; splenis obiectum firmatur fasciæ circumductu, non laxiori, ne dimoveantur cætera, non strictiori, ne torpescat membrum aut pressa disfluat emplastri materies. Cum autem effectus vesicatorii diverso exerat temporis intervallo, pro cutis textu sensuque vario, pro ægri viribus, pro dosi cantharidum, ideo varia datur ejus eximendi occasio. Attamen tota illius actio sextam inter & duodecimam ferme horam vulgò absoluta est. Porro mutatio apparatus præceptis non caret. Si ocius instituitur, hærente aliquatenus epidermide, nondum efformata est ampulla, adiunt tantum distinctæ quædam vesiculæ, longior & magis dolorifica est horum excisio, suppuratio difficilior. Si seriùs, separantur quoque præter cuticulam, nonnullæ corii ipsius lamellæ, unde major dolorum vis & diuturnitas. Ne peccet in utramvis partem chirurgus, post sex octove horas sub emplastro inspiciat, statimque idem reponet si planè efformata non fuerit ampulla; conjiciet faciliè ex rei statu quamdiù adhuc expectandum sit, ut opportunâ deligatione vitet utrumque periculum. At neglectu quodam vel omissione diutius applicatum remansit vesicans & exfoliata est cutis; tunc mobiliiores tantum excidentur lamellæ, una cum epidermide; cæterarum avulsio si suppurationis opus, aut procrastinetur saltem ad cæteras utque deligationes.

Ubi primos atmosphæræ contractus subiit cutis, nec mora, beræ obducatur vel brassicæ foliis, per contusionem levem quamdam mollioribus & lævioribus factis, butyro inunctis, vel adipe, vel unguento *de althæâ* nuncupato. Ægro dolorem parant qui pro foliis linteo utuntur; mox enim arescenti corio sic cohærescit, ut vix eximi possit vixque instituat optata suppuratio. Ipsa folia non rarò itidem siccantur in summo ardore cutis. Sæpè etiam è sede suâ faciliè se dimoventia, iisdem malis ansam præbent. Adversus hæc incommoda, simplex cautela se offert. Totâ unguento fusco illitâ leviter, prius topicum obducere prodest, ritè deligare, tandem cavere ab ipso agrotante ne manus nocentes super apparatus inferat artis operam disturbet.

Curatio vulneris non minores secum infert cautelas, quàm vesicantis applicatio. Si suppuratio excitanda non fuerit, continuato tantum butyri ulu, vel cerato in ejus locum adhibito, brevi siccatum erit vulnus. Hanc si necessariam existimes, bis in die deligandum, maxime si affatim exundet humor; variis topicis digerentibus tunc opus erit. Unguento de althæâ eum basilici p. æ. mixto faustè uteris plerumque; si ob erethismum & phlogosim non suppu-
ret, ultimi dosim imminuas; si ob energiæ defectum, *animetur*, ut aiunt, unguentum, addendo pro semi-unciâ, pulveris cantharidum tenuissimi, grana iv, vj, viij, rarò xij. A minori dosi ad majorem pergas: non verò inspergatur pulvis ille supra topicum mox applicandum; sed prius cum eo probè immisceatur; alioquin sæpè incredibilis, sed prorsus inutilis sive in parte, sive in vesicæ collo exoritur dolor, morbi que ipsius forsan augetur intensitas.

Perfentitis cantharidum stimulis, non ideo prorsus ab ærumnis vacat ægerans. Vel enim difficilis suppuratio resistit suppurantium energiæ; vel pessimi dolores obsident partem ulceratam; vel serpit putris gangrena exedens carnes, vel sanguinolenta excretio cicatrici nectit moras.

Nempè invitis cutis si pelliculâ spontè obducatur & fanescat vulnus, negatam naturâ evacuationem; per acrium majorem dosim, tentare incautum; sequuntur enim mala haud spernenda. Nil urgendum; expectanda fibrarum major laxatio; tunc alibi applicatum, si morbus adhuc quæsierit, novum epispasticum succedet feliciùs, magis conforie & cooperante naturâ. A materie morbificâ vulnus impetente nonnumquam oritur atrox & improvisus dolor, quo rubescit plurimùm, statimque exarescit. Is rheumatici vel arthritici humoris vulgatiùs observatur effectus. Similis mihi obtigit casus. Dolores intus atuciantes ex voto sustulerat prima ampullæ elevatio; per biddum lenis & moderata suppuratio optimè cesserat; ecce corripitur vulnus dolore atrocissimo. Pro stimulante quod tunc aderat, topico, substituta fuit beta butyro inuncta. Auctum fuit tamen, nedum blandiretur malum, ut malè speraveram. Cataplasmati anodyno cessit statim. Ast crastinâ die admoto iterum ad fovendam suppurationem, recenti butyro, recrudit do-

lor quem brevè sedavit idem cataplasma. Ideò servandi effluviî consilium abjiciendum fuit; oportuitque vesicatorio incæptam curationem, medicinâ internâ prosequi.

Si unquam attentum ac solertem chirurgum requirat cura vesicantium, id certè contingit in febribus putridis, malignis, pestilentialibus. Si morbus non adèd sit gravis, nec nimium arida cutis, spontanea est suppuratio nec curatio difficilis. Si gravior fuerit & stipata ingenti erythysmo, primò lentè agit in urentem & exsuccam cutim, epispasticum; livescit deinde vulnus, nigrescit, excavatur, gemmis horrescit pus saniosum exsulantibus, paucum, vel nullum. Hic gangrænæ siccae indicium est. At ubi, prægressâ coctione, laxatis fibris, per hiantes poros, quâ data porta, ruat inimicus humor, in colliquationem abeunt carnes & putrescenti undequaque diffuunt tabo; quod gangrænâ humidam commonstrat.

Digestivum è terebinthinâ, ovi vitello & oleo de hyperico probè commixtis, confectum, & cerato refrigerante aptè temperatum, in priori & simpliciori casu sufficit. In altero, furas aquæ tepidæ identidem immergere, nisi balnea integra præferantur, opportunum ducimus. Cum kinæ decocto camphorato vulnus dein fovere; spleniùs eo imbutis & crebrò imbuendis, illud obtegere necesse est. Nec ideò arcemus pinguiâ quibus etiam prosperè utuntur quidam, unguentum Arcæi, digestivum simplex cum theriacâ; ung^m de styrace, aquâ vitæ camphoratâ dilutum, &c. Diversa in usum venient pro indicationibus diversis: cæterum suâ quisque agat ductus experienciâ. Non rariùs in praxi obviam venit ultimus casus. Tunc sensus in ulcere est acutissimus; igitur molliori apparatu debet obtegi leviùsque deligari. Servetur ab aëris contactu diutino; bis tamen in die immutetur apparatus. Sic autem instituetur curatio: nudato ulcere, decocto anti-septico abluatur, mundetur; kinâ pulverato conspergatur statim; applicetur linamentum molle siccum aut digestivo quodam aromatico illitum, fiantque cætera ex artis legibus ad graviorum ulcerum curationem.

Non leve interim chirurgo negotium facessit cruoris excretio per cutem exulceratam: à venarum subcutanearum erosione pendere id videtur; nec levior hujus causa habenda est cachexia ad scorbuticam accedens quæ, post curatam putrido-malignam febrem aliquamdiù adhuc viget. Istius mali curationem morantur victus plenior, vini usus, de ambulario; his igitur consulendum. Adhibeatur interim fons substripticus ex aquâ calcis decocto antiseptico unitâ. Antiscorbutica etiam intus sumenda. Conjunctis sic utriusque medicinæ viribus domatur malum reditque sanitas. Mutuum igitur medici & chirurgi præsidium invocatur, ut morborum ferè omnium therapèia, sic fausta & tuta medicamentorum, vesicatoriorum præsertim, adhibitio.

V.

EST ne eadem vis & efficacia in cantharidibus variarum regionum? Eadem in cunctis insecti partibus? Eadem pulveris recens aut antiquitùs parati? Quale est principium subtile vesicans, quo pollent? Quo pacto ductus urinarios speciatim afficit? Qualis ejus actio in sanguinem & humores? Numquid chymica experimenta conferre valent ad illam determinandam? His & aliis id genus enodandis, non immorabimur. Agenda egimus; incumbit nunc probandum utilem nos navasse operam præcepta practica exarando in usu cantharidum servanda.

Nil magis confessum quàm nostra hæc cautelarum, in usu medicamentorum saltem heroïcorum, necessitas. Fateor. At recoquunt crambem auctores ferè cuncti; præter generalia quædam & breviora quidem, circa indicantia & contra-indicantia, nil legitur variis aptandum casibus, etiam apud illos qui scripserunt ex professo de vesicatoriis aut cantharidibus (1). Immenfam rerum, temporum, morborum, individuorum varietatem

(1) Multi scilicet fusè differuerunt de variis circumstantiis quibus applicanda sunt vesicantia. Nullum autem noverim qui de cautelis speciatim egerit, præter CHRISTIANUM-GOTTFRIED STENTZEL, de externo cantharidum usu, imprudentium prudentiumque azylo Medicorum, Wittemberg, 1743.

vix respiciunt. Non desunt prætereà, absit medicos dicam, sed medicastro, qui divinæ vesicatoriorum efficaciam confidentes nimium, his indiscriminatim utuntur, potius, abutuntur, in quolibet paululum gravi affectione. Non nisi mortis ad accessum proponebantur olim vesicatoria; quod ferè idem erat ac iudicium capitis pronunciare; hodiè, quovis morbi tempore, applicare non timent imperiti; sed graves sæpè insequuntur noxæ. Sic ducit in vitium culpæ fuga, se caret arte.

Nec minùs proderat chirurgicam praxim paucis delibare; juniorum enim parùm expertis manibus commissum quasi leve & vile id munus, prorsùs fere omittitur à Magistris. Hinc ominosos tot errores quotidie lugent Clinici. Id ruri præsertim videre est & in magnis oppidorum castrorumque nosocomis, ubi Primarii Chirurgi oculis consilioque non regitur Alumnus. Ad optandam horam minimè attenditur; locorum (2) discrimen vix admittitur; ignorantur præparationes; una & eadem sternitur semper curationis via. Hinc morborum improspere curatio; hinc pessimæ ulcerationum mutationes; hanc triste in portu naufragium.

Arguent forsitan haud pauci minùs perfectè impletum fuisse nostrum id munus. Non imus inficias; at pro suâ quisque agit Minervâ; meliora nos precamur. Ex his quas proposuimus cautelas, quædam generaliores videbuntur; sed tales permittit imò jubet instituti ratio. Quædam minùs specialiter proponi debuissent; sed clarissimorum in rebus medicis virorum scrutinio has subjecimus, ut eas moderentur pro suâ cujusque experientiâ. Minutiora tandem invenient, præsertim in chirurgico programme; sed minutorum omissio grandium sæpè noxarum causâ; aliundè, ubi in tenui labor, non tenuis semper utilitas, nec deturpat vultum omnis nævus. His discussis nubibus inconcussa viget propositio nostra. Observationis & experientiæ fetus, non verò imaginationis commenta sunt præcepta hæc quæ mox tradidimus. His patet, ne suo unquam effectu defraudentur, tam insigne remedium, vesicantia, horum in usu, sua Medico suaque Chirurgia sedulò implenda esse munia.

Ergò in usu Vesicantium Cautelæ tùm Medicæ tùm Chirurgicæ.

(2) Sic quidam vesicantia ponè suras non rarò applicarunt; quo decubitus in lecto ob continuam pressionem, valde arduosus fuit, nec-non deligatio, tùm medicanti tùm ægrotanti valde incommoda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. Henricus RAIMOND, Regis exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus.

M. Carolus-Nicolaus D'ESLON, Serenissimi Comitis atrebatum Medicus ordinarius.

M. Antonius-Joannes-Baptista-Maclovius GUENET, Chirurgiæ Gallicæ idioma Professor, & Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ.

M. Paulus-Gabriel LE PREUX, utriusque Pharmaciæ Professor designatus.

M. Ludovicus-Claudius GUILBERT, è Societate Medicâ Edimburgensi, antiquus Regis exercituum Medicus ordinarius.

M. Edmundus Claudius BOURRU, Chirurgiæ Gallicæ, idioma Professor designatus.

M. Paschasius BORIE.

M. Franciscus BIDAULT.

M. Joannes-Claudius MUNIER, Consiliarius Medicus Regis ordinarius & Domus Regiæ Invalidorum.

Proponebat Parisius MICHAEL-FRANCISCUS DE LA PLANCHE, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor.

A. R. S. H. 1778. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1778.